



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Vtrum concedendum sit per donum dari dona. T

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

Spiritus S. mediantibus virtutibus quarum actus sunt, vt pote actum fidei, id est, credere fide media, vt actum spei, id est, sperare media spe. Per fidem enim & spem prædictos operatur actus. Diligendi vero actum per se tantum, sine alicuius virtutis medio operatur, id est, diligere. Aliter ergo hunc actum operatur quam alios virtutum actus. Ideoq; differenter de hoc & de aliis loquitur scriptura, quæ istum specialiter charitati tribuit. Est ergo charitas vere Sp. S. vnde August. præmissum verbum Apostol. tractans in eodem libro charitatē dicit esse bonum, quo nil melius est: & per hoc ipsam esse Deum significat dicens: Si nulla res ab eius charitate nos separat, quid esse non solum melius, sed etiam certius, hoc bono potest? Ecce dicit, quia charitate nihil melius est: Charitas ergo Spir. Sanctus est, qui Deus est, & donum Dei siue datum: qui diuidit singulis fidelibus dona, nec ipse diuiditur, sed indiuisus singulis datur. Vnde Aug. vbi Ioannes dicit non ad mensuram Christo dari spiritum, ait: Cæteris vero diuiditur, non quidem ipse spiritus, sed dona eius.

Aug. tom 3.
paulo superius.

De moribus
Eccl. ca. 1.

Rom. 8.

1. Cor. 12.

To. 9 tract.
14. ad tertium

cap. I an.

Non enim
ad mensuram
dat Deus
spiritum.

Cap. 19. ad
medium.

An concedendum sit quod per donum dentur dona. T
HIC quæritur, cum Spiritus S. per quem diuiduntur dona, ipse sit donum, vtrum concedendum sit quod per donum diuidantur ac dentur dona? Ad quod dicimus, quia per donum quod est Spiritus S. singulis propria diuiduntur, & ipsum communiter omnes boni habent. Vnde Aug. in 15. lib. de Trin. ait, Per donum quod est Spiritus S. in commune omnibus membris Christi multa dona, quæ sunt quibuscunq; propria, diuiduntur. Non enim singuli quicq; habent omnia, sed hi illa, alii alia, quamuis ipsum donum à quo cuiq; propria diuiduntur, omnes habeant, id est, spiritum S. Ecce aperte dicit, per donum dona donari.

G 4

VTRVM